



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 135. Propterea quime tradidit tibi manus peccatum habet. v. 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationis scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non iudicatis nec cupidistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cur apparebit vobis. Quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet. Exiguus enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Sed &, tu Domine, libera animas nostras de manu tribulantium nos, & qui gloriantur in virtute sua & potestate sibi à Deo concessa, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster, trahe illos post te, illucesce cordi Turcarum, Moschorum & Hæreticorum & Schismaticorum, ut commissum sibi populum benigne regant, iuste disponant, & iure pietatis modificent, non gloriantes in lemeuphis.

§. 135. Propterea quia tradidit tibi manus peccatum habet. v. 11.

Pergit docere Pilatum, quod peccet si innocentiam condemnet sua potestate, & non liberet: maius tamen habere peccatum, qui tradiderunt se Praefidi innocentem ad crucifigendum ex invidia & avaritia, uti Iudas proditor, & Principes sacerdotum, Scribae, & Pharisei, illi enim origo & fons impietatis fuerant. Pilatus autem ex formidine ministrum Iudæorum se praebat, ergo tam qui tradidit, & proditoris conscij, ac mortis ministri fuerunt primi, quam Pilatus qui accessit, peccarunt, licet multo gravius alijs alij peccaverint.

**A**udite hunc Doctorem Stoicæ Philosophiæ item hæreticæ sectatores, qui audetis docere omnia peccata esse æqualia: discrimen illud peccatorum in mortalia & venialia esse fictum. Audite quid Christus dicat, doceatque Pilatum in Prætorio, si ei non vultis credere docenti in templo.

§. 136. Et exinde quarebat Pilatus dimittere eum. v. 12.

Quia pulchre monuit Christus Pilatum, quod peccaret, quamvis maius foret peccatum Iudæorum ex odio immani procedens: & quia suboluit Iesum esse aliquid supra homines alios, & suam sensit repressam præsumptionem in eo, quod dixerat se potestatem habere tam crucifigendi quam dimittendi Praefes animum ad iustitiam reflexit, à qua iam recesserat ad hoc castigando & dehonorando captivum innocentem, quamvis illa resipiscencia Pilati, nescio quid timiditatis admixtum habeat, in eo quod dicitur, *quarebat*. Vide interim mi Christiane pulchrum exemplum gentilis, qui à captivo, in conspectu omnium, admonitus officij, monitionem hac de re dominicis verbis affligi non iussit, aut contumeliosis saltem

verbis